

200  
& utrumque ejus conceptum tum communem tum proprium exprimit; Illa est bona: Atque hæc accurate & perspicue naturam causæ, tanquam definiti explicat &c. E. est bona. Major in propatulo est. Minor verò probatur: quia hæc definitio essentialia causæ requisita detegit & intellectui proponit: Vocula siquidem principii conceptum communem causæ exprimit, in quo causa cum aliis quoque convenit, adeoque hæc vox fungi vice generis potest: Omnis igitur causa principium est, non tamen omne principium causa: Privatio enim est principium corporis naturalis, non verò causa; sic punctum lineæ est principium, sed non causa. Sed porro hic notari debet, quod h. l. non intelligatur principium complexum, sed incomplexum. Deinde τὸ influere esse nihil aliud est, quam dare seu communicare esse & per hoc distinguitur à privatione, quippe quæ quidem est principium, sed cum non influat esse, nomen causæ non meretur. Postea in Definitione, additur particula *per se*, ut excludatur causa per *accidens* & causa *sine qua non*, quas causas veras non esse facile patet & recte communiter docent Philosophi. Denique dicitur *influere in aliud non in alium*. Illud autem *aliud* dicitur, quod habet essentiam specie vel numero diversam ab alio, jam *causa* dicitur *influere in aliud*, quia causa & causatum debent essentias, si non specie, tamen numero distinctas habere. Nam etiam in divinis Filius & Spiritus Sanctus accipiunt esse à Patre, sed esse idem numero, & id propter Patrem non in alia sed in alios influit. Unde Pater principium est Filii & uterque Spiritus Sanctus, non causa; & Filius dicitur productus à Patre, & Spiritus Sanctus ab utroque non causatus vel effectus; licet Græci Patres abusi vocibus *αἰτίαι* & *αἰνάρται* aliter ferè locuti fuerint.

#### IV.

Definitione causæ sic explicata, ad meliorem & faciliorem ejus notitiam observandum est, quod quælibet causa duplici possit considerari modo (1) *absolute*, ut est aliqua res (2) *relative* prout ordinem & habitudinem dicit ad causatum. In præsentibus jam agimus de causa posteriori modo considerata. Causa jam inesse causæ constituitur per causalitatem, Quæ vox itidem varias admittit significationes. Sumitur enim (1) *pro sola causalitate cause effi-*